



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 47. Concilium Augustodunense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Clero injuriis, occupatis monasteriis, innocentibus temere excommunicatis, omnibus invisus, ceris Majorum clarus, sed moribus rusticus, fastu intolerabilis, ferox, iræ impotens, Nobilium familiaritati se ingerens, Clericorum contemptor, quadam die dicere auditus, Archiepiscopatum Remensem Beneficium fore egregium, nisi onus annexum cantandi Missas fastidium pareret. Dudum anno millesimo septuagesimo tertio objurgatus a Gregorio Papa VII. quod Bona Abbatiae S. Remigii usurparet, eam dedit Guilielmo Abbati S. Arnulphi Metis, viro præclare merito, quam eidem postea ademit. Unde offensus Guilielmus virili vigore & libertate in eum invectus est. Anno millesimo septuagesimo sexto cum multi, se sine causa ab Archiepiscopo excommunicatos conquererentur, Papa missis ad Joffredum Episcopum Parisiensem mandatis eum in ipsis locis hæc negotia pertractare, & si innoxios invenisset, auctoritate Sedis Apostolicæ munitus eos absolvere jussit.

Sæculum XI.
A.C. 1077.

I. ep. 13. 14.

Guil. ep. to.
I. Analect. p.
251. &c.

IV. ep. 208

§. XLVII.

Concilium Augustodunense.

Ut Papæ mandatis obsequeretur, Hugo Legatus, Episcopus Diensis, eodem anno millesimo septuagesimo septimo, consentiente Hugone I. Duce Burgundia,

to. X. p. 360.
ex Chr.
Vird. p. 1998

Sæculum XI. A.C. 1077. diæ, Augustoduni Concilium celebravit. Aduere complures Episcopi & Abbates Franciæ & Burgundiæ, cum Clericis monachisque, ibique non nullæ causæ Ecclesiasticæ definitæ. Manasses a Clericis Remensibus accusatus, quod Simonia reus & illius Ecclesiæ Usurpator esset, a munere Sacerdotali suspensus est, quoniam ad Concilium vocatus, ut causam diceret, non venisset. Canonicos vero Remenses Accusatores suos, ex Concilio ad sua redeuntes, structis insidiis interceptare conatus, eorum ædes evertit, prædia diripuit, Præbendas vendidit. Acceptis postea a Papa epistolis, quibus se in Concilio cum sex aliis Episcopis purgare jubebatur, Romam profecturus itineri se accinxit.

Illa tempestate Ecclesia Lugdunensis vacabat, postquam Humbertus Archiepiscopus discessisset, qui ob Simonia vitium ejectus ad S. Claudium in monte Jurano Monachum induerat. Quare die quinta, qua Patres in Concilio Augustodunensi sedebant, Gebuinus Archidiaconus Lingonensis, Episcopi sui comes, electus est Archiepiscopus Lugdunensis, id Clericis Laicisque ejusdem Ecclesiæ, qui tunc præsentibus erant, expetentibus & toto Concilio consentiente. Gebuini pietas & morum candor jam diu omnibus spectatus erat; quare ex Altaris angulo,

gulo, quo confugerat, productus custo- Sæculum XI.
ditur, ut sequente die Dominica conse- A. C. 1077.
craretur. Episcopus Lingonensis, Cle-
ricique ejus, præsentibus, mœrebant, quod
ipsis vir eximius eriperetur, & altera in
Concilio die Episcopus de sede sua sur-
gens, eleganti sermone conquestus est,
quod sibi oculus dexter erueretur, se-
cundum verba Canonica, quibus Archi-
diaconus oculus manusque Episcopi ap-
pellatur.

Sermonem deinde idem Episcopus
ad res Monasterii S. Benigni Divione,
cujus Abbas Adalbero illo anno deceffe-
rat, convertit. Quippe, post obitum
Guilielmi illustris Abbatis, tristis facies
hujus monasterii fuit, Bonis temporali- *Sup. l. LIX.*
bus socordia Abbatum & improbitate *S. 21.*
Roberti primi, Ducis Burgundiæ, Hugo- *Jarento*
nis, qui tunc rerum potiebatur, avi, ma- *Abbas.*
ximam partem amissis. Rei domesticæ
vero angustia Disciplinæ Regularis per-
niciem intulerat. Ergo Episcopus Lin-
gonensis Patribus Concilii exposuit,
quam misera conditio esset monasterii,
ex quo olim complures Antistites ad re-
gendas Ecclesias Cathedrales fuissent
evocati, nunc vero ne quidem virum in
suo gremio haberet, qui domi ceteris
præesse posset. Cum eum deinde Lega-
tus Pontificius monuisset, ut ad susci-
piendum munus Abbatis quemquam ido-
neum

Sæculum XI. neum ex præsentibus nominaret, petit
A.C. 1077. Jarentonem Casæ Dei Priorem, qui ad
 Concilium venerat, contra Adversarios
 sui monasterii querelas delaturus. Eum
 Episcopus Lingonensis adhuc in Sæculo
 degentem olim noverat, & propositum
 ad Religiosam vitam se convertendi mul-
 tum laudaverat. Jarento, cum se ab
 Episcopo nominari audivisset, monachis,
 qui eum ad Concilium euntem secuti
 fuerant, tumultuantibus, & huic Electio-
 ni repugnantibus, clam fuga se proripe-
 re conatus est, jamque pæne evaserat;
 sed deprehensus, flens & mœrens in lo-
 cum Concilii retrahitur, ubi eum Episco-
 pus Lingonensis solícite custodiri jussit.
 Tum consentientibus S. Benigni mona-
 chis, sequente Dominica, decima septi-
 ma Septembris anno millesimo septuage-
 simo septimo Gebuinus, Archiepiscopus
 Lugdunensis, a Legato consecratur, &
 Jarento Abbas S. Benigni ab Episcopo
 Lingonensi benedicitur. Quibus per-
 actis solutum est Concilium.

In eodem Concilio Augustodunensi
 20. 10. Conc. in causis complurium aliorum Episcopo-
 p. 364. rum Franciæ sententia prolata est, ut di-
 scimus ex Epistola Legati, Hugonis Dien-
 sis, in qua omnium actorum rationem
 Pontifici reddit in hunc modum: *Roga-
 mus Paternitatem tuam, ut nobis tuam
 sententiam, quid in causis Ecclesiarum
 Remen-*

Remensis, Bituricensis & Carnutensis agen-
 dum sit, scribere digneris. Sciat quoque

Sæculum XI.
 A.C. 1077.

Paternitas tua, quod sic dictus Episcopus
 Noviodunensis, cum ei publicum examen
 minati fuisset, privatim coram nobis,
 Episcopis Lingonensi, Laudunensi, &
 quibusdam aliis presentibus, Simoniam
 suam confessus sit, nobisque super Sacra
 Evangelia promiserit, se eam Ecclesiam
 dimissurum, quamprimum mandata Sedis
 Apostolicæ conspiceret. Silvanectensis
 vero Episcopus, accepta Investitura de
 manu Regis, ab illo Hæresiarcha Re-
 mensi consecratus est, cui tuis literis in-
 terdixeras, ne hujusmodi Investitos ordi-
 naret. Episcopus Antissiodorensis infra
 annos de jure præscriptos ordinatus Inve-
 stituram Regis non accepit, quamvis aliun-
 de ejus gratiam consecutus est. Is erat Ro-
 bertus, Comitis Nivernensis filius, Regi
 affinitate conjunctus.

Episcopi
 Dientis ad
 Papam Epi-
 stola.

Hist. ep. An-
 tiss. c. 52.

Tum profequitur Legatus: De Seno-
 nensi autem Archiepiscopo, quantam con-
 tumeliam auctoritati tuæ in nostra Lega-
 tione intulerit, satis, ut putamus, audive-
 ris. Burdegalensis quoque cum anno præ-
 terito ad Concilium Claromontense voca-
 tus non venisset, neque Canonice se excu-
 sasset, in eodem Concilio ab officio Episco-
 pali suspensus est. Quod ille vilipendens
 interdictum sibi officium usurpavit. Rur-
 sus vocatum ad Concilium Augustodunen-
 se,

Sæculum XI. se, quoniam nullam absentiae causam mi-
A.C. 1077. sit, etiam a Sacerdotio eum suspendimus.
 De his ergo omnibus, quid Sanctitas tua
 facere decreverit, nobis perscribi roga-
 mus.

Præterea summopere petimus, ut per
 Episcopum Valentinum pro Archiepisco-
 po Lugdunensi Pallium mittas, quo ipsius
 Ordinatio contra Hæreticos oblatrantes,
 & Regis indignationem jactantes, confir-
 metur. Ipse enim Romanam pergeret, &
 Sanctitatis tuæ pedibus advolveretur, si
 Ecclesia ipsi commissa Pastoris officio de-
 stitui tanto tempore posset. Episcopo
 Valentino præcipe, eumque ad pollicen-
 dum compelle, quod ad Festum S. Joannis in
 Ecclesia sua degere velit, ut condiximus,
 quia ad oppugnandam arrogantiam quo-
 rundam hominum in illa provincia aptis-
 simus est. Manassem autem amicum no-
 strum in Christo, qui in Claromontensi
 Concilio male acquisitam Ecclesie Remen-
 sis Præposituram in manibus nostris dimi-
 sit, & Brunonem dignissimum illius Ec-
 clesie Magistrum, gratiæ Sanctitatis tuæ
 commendamus. (*) Digni sunt enim am-
 bo, qui tua auctoritate confirmentur, quia
 pro nomine Jesu Christi contumeliam pas-
 si sunt, & eorum operam pro causa Dei in
 Fran.

(*) Eum Brunonem intelligit, qui Carthu-
 sianorum Fundator postea extitit.

Francia magno emolumento adhibere poteris. Manasses cujusdam Magnatis ejusdem nominis, Remis Vicedomini, erat filius, qui post annos exinde viginti ejusdem civitatis Archipræsulatum consecutus est. Brunonem Coloniae natum jam tunc Doctrina & virtus commendabant, virum postea celebratissimum. Hi duo præcipui accusatores Manassis Archiepiscopi erant. In fine epistolæ Hugo Cardinalis dicit, se Concilium Pictavi decima quinta Januarii celebratum.

Sæculum XI.
A C. 1077.

§. XLVIII.

Donatio Mathildis.

Brevi post acceptam absolutionem Henricus Rex, simulans, se cum Pontifice iterum colloqui cupere, & ipsum & Mathildem Comitissam in suam potestatem paratis insidiis redigere cogitabat, sed Mathildis per suos monita cum Pontifice celeriter in montes munitissimos se recepit, & ex illo tempore Henricus nec Papam nec Mathildem amplius vidit. Ipsa per spatium trium mensium Papam apud se detinens, editis publice literis, omnes Ditiones suas, quæ Tusciam & Longobardiæ partem complectebantur, Ecclesiæ Romanæ, servato sibi usufructu, donavit, & quoad vixit Gregorium Papam omnibus viribus defendit. Papa

Domnizo.

Chron. Cass. lib. 3. c. 49.

Hist. Eccles. Tom. XV.

A a

eam